

DE ITINERIBVS
IN TVRCIAM
LIBELLVS

FELICE PETANTIO CAN-
CELLARIO SEGNAE
AVTORE.

M. ACADEMIA
KÖNYVTÁRA

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE
 Hispaniarum Principi, AVSTRIAE Archiduci,
 Duci Burgundiae/Stiriae/Carinthiae/Carniolae/
 Wirtembergiae/Comiti Habspurgen. Tyros
 lis ac multarum prouinciarum Domino, Res
 gnorumq; heredi, Sacri deniq; Ro. Impes
 rij Vicario. Domino FERDINAN
 DO Principi suo Clemētissimo.
 IOannes CVSPINlanus,
 Victoriā & felicita
 tem optat.



Ab anno Serenissime ac Potētissime Princeps
 Natalis Christiani Sexingentesimo uicesimo
 tercio Bonifacio. v. Pont. Max. Heraclio uero
 Imperatore, eodemq; tum maxime expediti
 onem Persicam qua Cosroen Regem deuicit
 agente, cum foedissima illa Turcorū Collu
 uies Arabiam primū inundasset, moxq; adiunctis Saracenis eo
 usq; diffunderetur, ut & aliorum regnorū latrocinio intolera
 bilis, & uanissima superstitionis incremento Christianae pietati
 perniciofa, prorsusq; omnibus formidabilis fieret. Donec ab
 origine nescias uiliore an minuiore principum infecutorum
 uel iocordia, uel discordia. (Dum quisq; uidelicet pariete pro
 ximo ardente Vaelegonta mauult q̄ uindicem agere) eo demū
 potentiae peruenit, ut noningentesimo circiter anno, maiorem
 nobilioremq; orbis terrarū partem libertate simul, & fidei luce
 exuerint. Huic uero tot nominibus exitiabili pesti, si qui unq;
 uel uirtute, uel felicitate aliqua sunt colluctati. Hi fuere e maio
 ribus Serenissime Princeps tuis. Quorū ut de aliis innumeris
 taceam, auus precipue memorabilis est FERDINANDVS, qui
 Hispaniam octingentesimo demū, ex quo ceperant anno, a Sa
 racenorum faece perpurgauit, ea uirtute, ut merito Catholici no-

men Alphonso olim Primo propriū post longum interuallū
 familiae uestrae perpetuū redderet. MAXIMILIANVS uero Im
 perator Paternus auus, ita in uotis habuit, cum immanissima
 Turcorum gente manus conferere, ut ad id unum per omnem
 uitam omnibus uiribus niteretur, effecissetq; nisi quorundam
 malicia auocāte, aliis bellis distringeretur. In ipso certe pulcher
 rimi operis apparatu immaturo excessu uitae fabulā expleuit,
 ut prorsus uideatur ceu fato quodam, in nepotes suos germa
 num Illustrissime Princeps tuum, eundemq; Imperatorem flo
 rentissimū CAROLVM & te ipsum, hanc sarcinam destinasse.
 Diuina prouidētia ordinante, ut quorum reliqua uestigia Im
 perii rerumq; omnium successione, exceperitis, idem Auorum
 alterius factis alterius uotis respōderetis. Et iam quidē regnorū
 terminis nuptiarumq; uinculis, alteri occasus, alteri oriens ob
 tigit, ac penum suū foelicissimus Imperator CAROLVS, iam
 exequitur. Celsitudini uero tuae ab Austria atq; Pannonia (qua
 rum altera iam olim cor ac clypeus, altera ceu propylaum rei
 publicae Christianae dicitur) Orientale ostentat Imperium. Qd̄
 omen ut faustum simul & auspiciū ac uerax nobis polliceamur,
 eximia tua Indoles pollicetur, hac enim es felicitate ut possis,
 hac animi magnitudine ut uelis, hac uirtute, hoc aetatis rerumq;
 omnium flore, ut iam maxime facias, idq; & sapiēter & mature
 Nam id Concilium proximis diebus, per te Viennae institutū,
 per fratrem Norimbergae actum Augustae indictum est, quo nō
 ambigamus, omnium Regum Principūq; Christianorū consilio
 atq; opera, tam gloriosum ac salutare negocium Celsitudinis
 tuae, ut nunc est sapiēter susceptum, ita secūdo Dei fauore trans
 actum iri, ad eam sane rem cum & copia suppetāt, & opes nō
 desint. Serenitas tua aetate, animo, potentia, uirtute, successibus
 floreat, hostes intolerabiles quidem, sed effœminati mollesq;
 sint, prorsusq; orbis ipse terrarū, rerumq; uniuersitas in hoc tan
 dem consilium, quo celsitudo tua cōsentiat, ut ipse quoq; pro
 summa mea in Sere: tuam fide & pietate aliquid pro modulo
 meo conferrem. Opusculum illud Felicis Petantii hominis re
 rum illarum adprime periti, mihiq; cum uiueret, amicitia iūcti
 exhibeo, casu nuper sed opportune ī suppellectili mea Charta
 cea repertum, corpore id quidem exiguum, genereq; dicendi
 A z

humile. Sed quod plurimo usui esse queat, ad hostes illos aut
 comodis itineribus adgrediendos aut præclusis incursionibus
 compescendos, id quicquid est munusculi ut Cel. tua interim
 (dum Cōsulum Cælarumq; meorum opus iam pene absolutū
 nominis tui auspicio in publicū exierit) accipiat, Meq; MAXI-
 MILIANI olim Imperatoris optimi ueterem & Ser. tuæ fidelis-
 simum Seruitorem, istarūq; tam felicium nuptiarū per multos
 magnosq; labores non postremū Conciliatorem clementer ag-
 noscat, comendatumq; & dicatū suscipiat oro. Deus opt. Max.
 Celsitudinem tuam incolumem, Reip. Christianæ nobisq; tuis
 q̄ diutissime conseruet. Viennæ Cal. Iulij. M. D. XXII.

Quæ tibi ad immaneis pateant compendia Turcos/
 Aut unde in nostrum gens ruat illa solum.
 Accipe magnanimis sed miti pectore Princeps,
 Signaq; duc fausta per loca nota manu.
 Ut uelut Augusta Frater ditione cadentem
 Surgentem Phæbum sic tua scepra regant,

FELICIS PETANCII ICANCELLARII SEG-
 NIAE QVIBVS ITNERIBVS TVRCI
 SINT AGGREDIENDI. AD VLA-
 DISLAVM HVNGARIAE
 ET BOEMIAE REGEM.
 LIBELLVS.



Ccepim⁹ serenissime Rex/
 Maiores nostros cū de in-
 ferendo bello cōsultarent/
 prius itinera quibus tuto in
 hostes pergerēt multorum
 & scriptis & documētis ac-
 curatius inuestigasse. Qua
 ex re / sæpe cōpertū est / eos
 futis ualidioribus copijs, amplissima Regna atq; opulē-
 tissimas prouincias / ocys fuisse adeptos. Ea propter
 opere precium erit / Maiestatem uestram cōmonuisse /
 quos terrarum limites. Quas ue gentiū regiōes adeat /
 in Turcos expeditionem affectans. Et quamuis decēti
 et matura persuasione ad prouisionem ruinæ Christi-
 anæ / opus esset exordiri prolixioribus uerbis. Tamen
 status perturbatissimus rerum me prohibet / eoq; max-
 ime / quod maiores nostri quorū exemplis innitimur /
 in huiusmodi arduis & mature nauandis rebus impi-
 gri ac semper citissimi extiterūt. Igitur dimissis orisma-
 ritimis / quæ uersus Asiam nauigantibus patent / refferā
 qui tramites ex septentrionali plaga in Thraciā & oriē-
 tem dirigant. Primum igitur ex Pannonia / ad Istri &

B

Diuisio itine
a Belgrado.

Via superior,

Nisus,

Pirothi uicus,

Sophia me-
tropolis.

Rhodope,

Sauī confluentem / trañcitur in superiorem Mysiā pro-
pe belgradum oppidum ubi duę concurrūt uiaę. Alte-
ra superior in Thraciam siue Romaniam. Altera infes-
rior ad Dardanos et Macedones mittēs. Sed superiorē
uiam sequendo / patentibus campis Godomiri / preter
Celebrephanum Ressaue / Regum atq; principū illu-
stratum sepulchris / non procul pertransito amne ma-
ioris Muraue / relictisq; sinistrorsum agris Bardiloue /
per pagum Branicerum / pergitur ad Nisum / olim (ut
ruinis cernitur) ciuitatem peregregiam / nunc instar uis-
ci redactam / a Turcis & Bulgaris habitatam. Adiacet
altissimis montib⁹ ex finitimo Rodope progressis / flu-
uio Nisaua / a quo denominatur, magnaq; uenaliū co-
p̄ia rerum inter alios Mysiæ & Tribalorum pagos cę-
setur præclara. Abest a traiectu Belgradi. c. xx. millib⁹
passuum. Ex ea ascendendo ad uicū Pirothi / situm in
montanis / peragrato uasto montis Cunorouice iugo /
arduo atq; difficili / cum ob profunda circumeminens
tium rupium concaua / tum propter densissimū nemus
longioresq; anfract⁹. Fit per quinquaginta milliaria ac-
cessus ad Sophiam Metropolim Tribalorum / Empo-
rium nostris seculis memorandum, iacet in plano spes-
ctans ab oriente inferiorem Mysiam / hoc est Sagoriā /
ex Chyabro flumīe, Circa Bioniū & Nicopolim oppi-
dum / porrectam per limites Istri ad mare Ponticum /
A meridie Thraciam, ab occasu & septentrione Cor-
discos / Tribalos, & excelsas montis Vasilige alpes.
Hinc Rhodope præ alijs q̄ plurimis quos habet uertis

cibus est eminentior, quasi omnibus finitimis montib⁹
imperitans, quod ex ipsa græca denominatione plane
innuitur, per cuius asperos & angustissimos aditus / bi-
duo pertransitur ad plana philippopolis uel Romanie,
Hac Romani Asię quondam imperium sibi uendicā-
tes / iter habuere. quorum insigne, ad hæc usq; tempa,
in montis medio marmoreis erectum columnis cōspi-
citur / Hinc & Gotifredum de Bulgonis dum terram
promissionis recuperaturus pergeret / ad Helesponti
siue Callipolis traiectum / ex superiori Mysia transcen-
disse memorię proditum est. Hisce etiā angustijs Vla-
dislaus Pannoniæ et Polonię Rex olim ab Amuratho
Turcorum principe obsessus / retrocedere / & Panno-
niam ire fuit compulsus. Ex Philippopoli uia tridui &
Campestri, cōtinue ad latus Marię siue Hebri flumīs
peruenit ad Drinopolim, uocatā apud priscos Odrys-
sum siue Horestida. Ea quantū pulchritudine & gesta-
rum gloria rerum inter omnes Thracię urbes semper
claruit / hinc uel maxime deprehēditur, Quod ei⁹ fec-
cunditate ueteres Bithynię Reges allecti, ex Asia in Eu-
ropam cōmigrantes, ipsam sibi in domicilium atq; im-
perij sedem diu ante Bizantię expugnationē tenuere.
Ab eain Propontidē & Hellepontū siue Callipolim
miliaria. lx. in Constātinopolim uero. c. xx. cōputant.
**ALTERA VIA INFERIOR QVE EX EO-
DEM BELGRADO PER DARDANOS**
et Tribalos mōtes Aemū transgressa prope
Hebrū cum superiori uia cōiungitur.

Philippopo-
lis.

Romanorum
iter in Asiam.

Gotfredi iter.

Vladislaus. R.

Hadrianopo-
lis.

Altera inferior uia, est accessu perfacilis. Patet em̄
 ex Belgrado ad limites Mysie & Dardanorum
 CC. lxxx. millibus passuum progrediens circa Ostermice
 oppidum & Rauanicense monasterium. Adducit primo
 ad Morauam olim moschium dictum ad latus Arcis
 Crusceue fluentem, quandoque imbrium exundatione
 inuadabilem. De hinc ad Basilicam albam, & Apennini
 montes Mysiam inuicem separans, Ralsiani em̄ primi
 huius provincie populi, feroces ac bellicosi, eam partem
 incolunt, quae ad Drauum Sauum & Istrum flumina
 spectat. Valachi motani, gen^o agreste hominum, hi gregibus
 tantum pollent & armentis. Aliam autem, quae
 ad Dardanos/ Macedones/ et Tribalos uergit. Serui-
 ani gentes usu mitiores, & siderum aspectu benignio-
 ri, eo quod magis ad meridiem tendant, & frequentia
 comeantium mercatorum. Pertransitis itaque montibus
 sequitur planum Dubotice, frequenter inhabitatum. Sed
 dimisso aliquantisper ad leuam tramite, qui ad Villam
 magnam Procopiae & Nisum dirigit, non procul offert
 seu uallis Cossouica cum Labo flumine per medium eius
 decurrente, procedens ad latissimum Cossouum cam-
 pum celebratum toties diuersarum gentium certami-
 nibus. Verum ex multis quae hic preclare gesta in anti-
 quis narrantur annalibus pauca in huius campi memo-
 riam repetam. Galli olim Graeciam atque Asiam occupa-
 turi, illic primo tumultuantes cum circumfinitimis
 populis prelium iniere, non sine magna strage. ut ex eorum
 monumentis apparet, precibus namque uix inducias ob-

Moraua.

Ralsiani,

Valachi.

Seruiani.

Dubotize.

Cossouiza
Vallis.

Cossouus
campus.

Gallorum
clades.

tinuerant, donec traditis sepulturis occisorum corpori-
 bus a provincia abirent. Preterea anno iam C. L. Amo-
 ratho Turcorum Regi, magna cum Barbarorum mul-
 tudine ex Thracia in Mysiam irruenti. Lazarus des-
 spotus huic cum multis millibus obuians, fuit occisus,
 paucis ex suo exercitu superstitibus apud Turcos uicto-
 ria remanente. non incruenta tamen, perempto ibidem
 eorum Rege, ubi eius adhuc intestina marmoreo con-
 dita tumulo iacet. Cadauer em̄ in Bursam siue Byrsam
 Bithynie metropolim deportatum est, cum alijs ex Oth-
 manorum familia Regibus sepeliendum. Postremo hic fuit
 illa infausta & omnibus seculis execranda clades, Ioan-
 nis huniadis genitoris diui Matthie Pannoniorum Re-
 gis ex conflictu habito cum Amorathe, & Mahume-
 te, Celepio eius filio qui fuit pater Moderni Turcorum
 imperatoris. Huius campi planicies, protenditur circiter
 lxx. millia passuum, usque ad uiam cuçamici & fauces clif-
 sure quae ad Scopiam ducit, posita inter duo flumina Sith-
 nizum & Labum, uallata undique montibus, quorum ex-
 trema perabundant uicis & pagis, habens ad latus opu-
 lentissimum pagum Pristinam. Qui ob maximam uber-
 tatem fuit quondam Mysiae dominis, in summis deli-
 cijs. Est in super ad. x. miliaria. Nouomontana Ciuitas/
 germanorum colonia, in principio namque Saxones, in
 Mysiae partibus metalla et argenti materiam repperere,
 Caeterum iuxta Horauice lacum & paludes, diuertendo
 ab ea uia quae ducit per Binzum, Morauam ad montes
 Criuicinae infra Mysiam & Dardanos iacentes, itinere
 unius diei, ab ingressu Clissure, patet accessus ad Sco-

Lazari despo-
ti interitus.

Othmanorum
familia.

Huniadiani
clades.

Pristina pagus

Nouomonta-
na urbs saxo-
num colonia.

Scopia.

Vardarus flu-
uius.

Hebrus q̄ &
Mariza flu.

piam, caput Dardanorū & terminū Macedonię. Hęc
ciuitas est ferax & abundans omnibus preciosis terrę
fructibus plena diuitijs, diuersorum peculiare princi-
cipis, irrigua salubri flumine Vardaro, scaturiente ex
iugis altissimis, Orbelli mōtis qui iminet Macedonię,
Tribalis, Mysię et Dalmatię, ac Epiro. Propt̄ea oportu-
tuna ad conuocandum exercitum, Inde iter arripiēdo
per planicię, Gegligoue Vallem Conopnize. Balnea
Beobusci, Pontemq; Strymonis dirimentē Macedo-
nes a Tribalis siue Bulgaris prope uillam ripę Rubęę
per lustratis campis Samocoui, Syluis & uastis solitudi-
nibus mōtis Aemi uocati, apud Tribalos eius accolas
Costegnazo difficili admodū uia descendit ad Ma-
rizam, hoc est Hebrū fluiū et campos Philippopolis,
siue Romanię, Vbi hęc uia inferior distans a Scopia
CC. xxx. millib⁹ passuū, cōiungit cū superiore, ex mō-
te Vasigliza, siue Rhodopę ad hęc plana p̄grediēte.

TRACTATVS DE COGNOMINE ET SITV ROMANIE.

Romania autē de qua paulo superius mentionem
fecimus est regio aprica, affluēs omnibus quę ad
humanū expediunt usum. Ab Romanis olim ob mag-
nam situs amoenitatem diu habitata. Vnde propter
frequētes in ea prouincia Romanorū Colonias, et prę-
sertim Constantinopolim, quę q̄si altera Roma uulgo no-
minari cōsueuit. Ei⁹ lōgitudō a littorib⁹ Aegęæ quos

Lōgitudō Ro-
manię:

ris et Strymone fluiuo CCC. lxxx. millibus passuum
progressa, ab oriente Ponto, a septentrione Istri am-
bitu nō longe a Rhodope, iuxta Ciabrum amnē cum
inferiori Mysia finitur, latitudo uero ex uicinis Aemi
latebris incipiens ad meridiē C. lxxx. uers⁹ Callipolim
protenditur. Latitudo Ro-
mania.

ALIVS LOCVS VNDE EX PANNONIA IN MYSIAM IUXTA SASLON OP- PIDVM TRAIECTVS EST.

Secundus autem locus unde ex Pannonia transitus
in Mysiam est prope Saslon siue Sabacum oppidū
non procul inde, ubi Drina ex Dalmatia decurrens Sa-
uo immiscetur. Ultra Sauum duę sequuntur prouin-
cie, Beligna & Maza relictis ad dexteram flumine Al-
bo, et his mōtib⁹, Sacero Chirbernico Crupno Saeza,
Et tūc itur ad famosum uicū Vagbem mōtesq; Larzi
exercitibus propter currus & alia impedimenta imme-
abiles. Ex parte sinistra fit progressus ad uadum maio-
ris Muraue abluētis Ibidem Crusseuam arcem adhe-
rendo semper alijs itineribus superi⁹ memoratis. Saslon oppid.
Beligna. Ma-
za.

VIA QVAE EX PANNONIA PER Trrāssyluania mittit uersus Thraciā & Pontū.

Est & tertiu⁹ iter, oportunius minusq; laboriosum
ducens ex Pannonum finib⁹, in Thraciam & ad

alia loca uicina Ponto. Verum quia tam ipsos Panno-
 nes, quã reliquos trans Danubium cõmorantes popu-
 los, illud minime latet, cum ex cõcursu cõmeantiũ in-
 uicem mercatorum, tum ob continuum bellum quod
 circa oram Istri, & eas regiones, Turcos propulsan-
 do exercent, pauca tantum modo ad hanc uiam necessa-
 ria aggrediar, Buda itaq; abest a Varadino. lxxx. mil-
 libus passuum interiacentibus Cumanorum locis, &
 flumine Tibisco. Hinc ad Rhium oppidũ ppe Cris-
 sianam amnem. Est uia vnus diei, semp campestris. Ex
 eo patet accessus per uallem longã in Colusuar, siue
 Themisuar. Inde ad Sibiniũ pari spacio itineris, et per fa-
 cili. Hęc ciuitas est principalis ex septem castris, quæ
 Regio vulgo Transyluania siue Herdelia appellari
 consueuit. Bello insuperabilis, parit enim strenuos ac
 fortissimos milites. Est in ea Huniad oppidũ, loci natu-
 ra munitissimum, Vnde Ioannes pater diui Matthie
 Regis oriundus fuit, Qui hic primũ Turcis eorũ duce
 Mecrisbecho interfecto, meliorib; semp auspicijs ui-
 ctoriam prosequendo, adeo hostibus terrori et suis ad-
 mirationi extitit, ut omnium sententia in regni guber-
 natorem deposceretur, Ex Sibinio sequitur Corona si-
 ue Bresouia, ultimum oppidum Trãssyluanie adiacēs
 montibus qui diuidunt eandem prouinciam a maiori
 Valachia seu Dacia, hinc tertia die aditur Tragouisc⁹
 Metropolis Valachorum, et sedes peculiaris principũ
 inaccessibilis non muro/nõ mœnibus cincta, sed fossa
 uallo et aggeribus tantũ cũ sudibus præacutis exterius

Cumani.

Tibisc⁹ fl.
Rhiũ oppi.

Colusuar.

Septem
castra.

Huniad.
Ioannes
Huniadis.

Corona.

Tragouif-
cus metro-
polis Vala-
chorum.

positis, sita inter paludes obductas, lutosis syluis et lacu-
 nis aquarum ita quod hieme tota pene circũfinitima
 Regio immeabilis sit. Hęc est prouincia Dacia dicta
 apud ueteres, Romanorũ Colonia / unde eius Abori-
 gines hac etiam nostra tempestate / passim latino utun-
 tur colloquio. Est ea gens Barbara, crudelis, diuina-
 tionibus & augurijs dedita. Rapinis semper & prede
 inhians. Ex his locis declinando uiam ad Traiectũ Bi-
 dinij & Nicopolis dirigentem, ad leua offert se Vasil-
 lum castrum / medium ferme consistens inter Valachi-
 am maiorem & minorem / siue Moldauiam / ubi sæpe
 cum Turcis certatum est, Dracula eĩ cum paucis sed
 electis Machumetum Turcorũ imperatorem / potitũ
 iam maiori Valachia & ad minorem occupandã ma-
 turantem hic ad secundam uigiliam noctis aggressus
 cõuersum in fugam ad Danubium cum magna suo-
 rum cede & ignominia regredi coegit. Hic deniq; Ste-
 phanus Moldauie princeps Suleimanum Bassam
 & ducem Romaniae sic prostrauit, ut ex. xxx. Turco-
 rum millibus pauci admodum / qui forte Velocicribus
 equis infederant / euaserint. Ex vasillo circiter. xxx. mil-
 lia passuum pertransitur Ister / ad Brilagum siue Brail-
 louum oppidum / ultra quod occurrit Græcia proces-
 dens ultra septẽ ora Danubij / usq; ad Pontum ubi est
 campus Varne celebratus primo conflictu imperato-
 ris Sigismundi & ducis Burgundie. Postmodum ce-
 de Vladislai Pannoniae & Poloniae Regis atq; legati
 apostolici.

Dacia.

Valachorum
mores.

Vasilum ca-
strum.

Dracula vi-
ctoria.

Stephani Va-
iuodæ facin⁹.

Brailouum.

Campus Var-
ne.

C

VIA PER QVAM EX VARBOSANIA
ITVR VERSVS MARE ET MONTES
CORBAVIAE.

Reliquum est/ut quābreuissime enarretur, ex quibus Dalmatiæ partibus Turci irruant in Germaniam, & in alias circumfinitimas nationes. Est igitur in ea prouincia locus qui Varbosania dicitur, caput & sedes principalis ducis eius gentis / quo omnes ex Asia & Europa Barbari prædæ ac rapinarum auidi / confluent, propterea quod inde facilius discurrit siue ad orā maritimam, seu per Licham & montes Corbauia in Liburnos Istros Lubianam & forum Iulium / uel ex monte Adrio. Qui ferme medius inter Bosnam, & Sinum Adriacum consistit Ad Croatiam declinando, in Carniolam / Ciliam / Carinthiam / Stiriam usq; Austriæ penetratur fines. Sed ex declinatione itinerum / quibus ad eas transitur gentes / ubi quæq; dictarū Regionum pleni⁹ apparebit. Hostes itaq; ex Varbosania ad planiciem Thimæ siue Sethiæ distantem. C. Lxxx. milibus passuum, & ad alia loca proxima mari discurrere uolentes, & si plures aditus habeant, duos tamē cōtinuis excursionibus sibi magis cognitos, & quasi faciliores frequentant, Altero circa Visochij Ganzan, & Profor oppida descendunt ad Clissam / Spaletū / Trasgurium / et Scibenicum. Altero autē longius / ad Cluci arcem porrecto præter Bistrizam intrat. In ladrae plana patentia usq; ad fretum dirimens insulas ad inuicem a promontorio Corbauia cæterisq; mediterraneis lo-

Varbosania.

Thima siue
Sethia plani-
cies.

Excursiones
Turci Unde.

cis. Verum regrediendo ex istis campis, ad Cluci oppidum, & montes unde in hæc littora diuertitur, duæ offerunt seuiæ, Alia uersus Bichachium, & Hun siue Hunam fluuium pergens alpinum Corbauia per angustias plerisq; in locis, transitu difficili & arcto uix pedibus peragrando / dimissis ad leuam Nouij & Buchari oppidis cum Istria / Tergesto & Mōte falcon, feruntur ex limitibus Bosnæ. CCC. xx. milibus passuum ad Hissunitium amnem.

VIA QVAE EX CLUCI OPPIDO VERSVS
HVN FLVVIUM PROGREDI-
tur & per quam itur in Germaniam.

Sed superiorem uiam tendendo traiciētes Hun fluuium ad lat⁹ Bichachij, relicta Cruppa ad dexterā semper locis campestribus spacio. L. milliariū offendunt omnem regionem Croatię circa Modrusiū usq; ad Cruppam & Sauum fluuios. Hinc etiā in Lubianā excursionēs fieri possunt / per eosdem montes Corbauia, via stricta lapidosa & aspera. Post Cruppam amnem sequitur Methlica, in cuius finibus est mons arduus / transitu difficilis porrect⁹ ad quatuor milliaria / ubi pauco admodum presidio / iter hostib⁹ præcluderetur, Inde ad Sauum & Carniolam transcurret / et ultra Sauum per Ciliam / Carinthiā & Stiriā prouincias. Drauo flumini adiacentes depopulaturi dextera Muram fluuium & Austriam adoriuntur.

Cluci oppi.

Cruppa opp.

Incurio in
Croaciam.

Methlica oppi.

Mura fluui.

VIA EGNATIA EX EPIRO SIVE DYRRA
chio per Aemathiam in Thraciam progrediens.

DVxi præterea per oportunitatem fore, si nostræ ætatis
hominibus simul atq; posteris notum fieret, per
quæ itinera olim Romani exercitus ex Epiro in Mace-
doniam siue in orientem transibant/præsertim cum &
assidua bellorum uastitate & temporum uicissitudine
nomina urbium atq; locorum oblitterata omninoq;
hodiernis Christianis militibus incognita existât. Pro-
inde ducuntur uia, Altera Egnatia ex dyrrachio in orien-
tem / quam Strabo Geographus ad Hebrum fluum
Thraciæ per milia passuum .D. atq; xxxv. mensus est.
Alteram autem ex Apollonia quæ Candauia a monte Il-
lyrici denominatur in Macedoniâ CC. Lxvij. Thes-
salonicam usq; progrediens, Sed prior Egnatia/ex dyr-
rachio per Pharfalicos & Aemathiæ campos / inueniens
do sinistrorsum Fandam fluum / & montes Ducag-
morum / circa Lisum / Aemathiæ quondam nobilissimam
ciuitatem / & frequentissimos Vrachii et Dibri pagos
pergens ad Belgradum oppidum / ferme mediū inter
Aemathiâ / Thessalos & Macedones, dimissis ex par-
te dextera Thessaliæ montibus, Leua uero Drina flu-
uio / per agratis syluis & nemoribus finitimorum mon-
tium descendit in planiciem Macedoniæ extensam uer-
sus Hebrum & Thraciam.

VIA CANDAVIAE MARITIMA EX
Apollonia ad fauces Propontidis extensa.

Secunda uero uia quæ Candauia dicitur. Ex Apol-
lonia unde sumit initium Epirus ad sinum Ambracium,
præter Aulonem siue Valonæ lacum procedens / dex-
trosum adiacent sibi gentes Epiroticæ / Quas Siculum
mare alluit, Hæc regio vulgo Arbanus nuncupatur diu
sub aranitorum Dominio habita cum Acheloo uel se-
cundum accolas Pachicolamo amne e Pindo decur-
rente coniungitur / Illic terminus Epiri, Ab eo per A-
carnanes ad Euinum seu Phidarim fluum qui in os
sinus Corinthiaci influit dirimentis Aetholiâ a Pelo-
ponesso ad Anthirium flumen Isthmo pertinet. Verum
tota hæc uia superius memorata continue extendit per
oram maritimam, aditu quibusdam in locis aspero et lon-
gius a mari ambiendo ob crebros prominentes in hæc
littora montes. Ea post Isthmum / ab Aegeo excepta pe-
lago per locos phocenses Boeocios / Atticos & Mega-
renses Græciæ maritimos populos circa Fuboeam atque
Thessalonicam sinum dimissa ad Leuam Larissam descen-
dit usq; Thessalonicam clarissimam Macedoniæ urbem.
Dehinc rursus ad latus eiusdem freti uersus meridiem
Athon montem declinando per plana, & montes Stry-
monem transgrediens (qui Macedones a Thracibus
diuidit) locis semper maritimis ad Aemio oppidum ex-
tenditur, ubi Hebrus Thraciæ fluum Aegeo immer-
gitur equori. Hinc duo patent itinera, Alterum per .Lx.
milliaria uersus Adrianopolim / Alterum autem ad leuam,
per pontem Aeginæ supra paludes et lacum miro artifi-
cio tribus milibus passuum extensum, prebetur accessus

Arbanus regio
Epiri.
Achelous.

Euinus flu.

Græcia ma-
ritima.

Thessalonica.

Athos mons.
Strymon flu.
Aemio oppi.
Hebri ostia.

ad Callipolim ex ea in occasum diuertendo facile ad
fauces peruenitur Propontidis, siue Dardanellum.

EPILOGVS EXHORTATORIVS AD IN- VADENDVM TVRCOS.

Hæc sunt itinera a Romanis olim toties peragrata
exercitibus, nunc a christianis obnixius affectan-
da si pulsus ex Europa Barbaris, perpetua pace potiri cō-
cupiscunt. Non est itaq; expectandus hostis/ neq; dimis-
candum cum eo in limitibus & gremio Italiae. In Epi-
rum siue Macedoniam transportandę sunt copię vno
atq; eodem momento. Hinc & ex Pannoniæ oris. Bel-
lum Thraciæ inferendum esse nemo iam ambit/ Non
defuturum enī militem/ neq; comeatū / omniaq; ne-
cessaria presto fore/ Aderunt & ex circūfinitimis pro-
uincijs undiq; fideles populi, solam christianam expe-
ditionem prestolantes, parati hostes vndiq; adoriri q̄
primum senserint Christianorum castra Istrum & ex
Italia exercitum/ Adrię fretum traiecisse. Hæc est vna
atq; extrema via debellandi hostem. Legimus namq;
Alexandrum magnum cum Dario Persarum rege in
Asia decertasse. Xerxes ne ab Atheniēsisibus in regno
suo circumueniretur/ prior ipse Græciam inuasit. Hæ-
nibalis quoq; vna atq; eadē sententia semper erat/ vt
in Italia bellum gereretur, neq; ab ea iam victor prius
reuocari potuit, quam translato in Affricā bello. Cæs-
sari etiam tanta in opprimēdis hostibus celeritas inerat,

In suis terris
hostes aggre-
diendi.

Alexander.
Xerxes
Hannibal.

C. Cæsar.

vt plerumq; ipse famam sui aduentus preueniret. Sed
praetermittenda sunt tot exterarum gentiū exempla/
Sulū modo unum relinquitur dignū memoria ac cele-
brandū posteris documentum Ioannis Huniadis, qui
nunq; passus est Turcos aduersus Christianos expedi-
tionem mouisse/ quin eos in ipsa Thracia aggredere-
t. Cui⁹ præclara ac sanctissima pro defensiōe orthodoxę
Reipublicę incepta nostræ tempestatis principes imi-
tari. Dominus Iesus Christus. Deus Opt. Max. faxit.

Ioannis Hun-
adis prudētia

Imprimebat Viennę Austrię Ioannes Singreni-
us Chalcographus. Anno Sal. M. D. XXII.
Pridie callendas Iulij.

CAROLO V. P. F. AVG. EODEM
QVE CATHOLICO ORBEM
TERRARVM. FERDINANDO
QVE VNICO ARCHIDV-
CE SVIS FRATRISQVE
AVSPICIIS IMPERI-
VM PATRIAM
QVE FELICI-
TER MODE-
RANTIBVS.